

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

ETYMOLOGIIS CICERONIS,

CUJUS

PARTEM PRIMAM,

*Venia Ampl. Facult. Philos. Aboëns.*

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societt. Patriot.  
Holm. Oecon. Fem. & Oecon. Wermel. Membro,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

*publice ventilandam exhibet*

LAURENTIUS WIKBLAD,

*Ostrogotus.*

In Aud. Phyfico die XXX Mart. MDCCCVIII.

H. a. m. c.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

79

# KRONO BEFALLNINGSMÄNNEN

*Välädle*

HERR AND. JOH. WIKBLAD.


---

*Älskade Bror!*

*L*juft är minnet af de flydda åren,  
Af vårt första, rena vänskapsband,  
Af den leende och lugna strand,  
Der vi lekte bort den glada våren.  
Utan mörker då min Himmel log,  
Ingen saknad än min smärta närde,  
Och jag lycklig på min lyra slog,  
Hvad Ditt öma hjerta åt mig lärde.

*M*en från bygden, sällheten och friden  
Sökte jag Apollos Tempel opp;  
Djerfdes fika till Parnassens topp,  
Att ock bära få en krans ur striden.  
Då det glada hoppet ler mot mig,  
Detta offer jag, från Auras stränder,  
Af ett tacksamt hjerta helgar dig;  
Mottag det med broderliga händer.

L. WIKBLAD.



*Inter se dissimiles habent analogias nominatus.*  
VARRO.

**E**tymologiæ, quam alias *Verborum explicationem* (a), alias *Notationem* (b) appellavit CICERO, ad vim sensumque propius *Originationem* nuncupavit, cum nonnullis, QUINTILIANUS (c), adeo non contemnendus est partim ad veram, saltem primam vocabulorum notionem eruendam, partim ad certam scripturæ legem stabiliendam usus, ut potius his in primis nominibus splendidum *Veriloquiæ* titulum (d) vindicasse sibi videatur. Est tamen in utroque negotio non mediocris adhibenda cautio.

Ad Orthographiam constituendam quod attinet, in mortuis jam linguis major profecto est, quam in sermone  
A adhuc

---

a) Acad. Quæst. L. I. c. 8 f. 32.

b) Topic. c. 8 f. 35. Hinc *Notam* nominavit MARGIANUS CAPELLA c. 5.

c) Instit. Orat. L. I. c. 6 f. 28.

d) Hinc quoque *Veritas* (ἐτυμότης) audit CICERONI, Orat. c. 48 f. 159; potestque omnino ad ipsum notionum nostrarum fontem investigandum aliquid conferre. Vid. HERDERE *Metakritik* I: f Theil p. 442 sq. 450 sq. 459 sq.



adhuc tritis, Etymologiæ auctoritas. In illis enim cum post fata temere mutandum nihil sit; cum, exceptis numis, emendatissimam scribendi rationem plerumque sequentibus, vix ulla supersint monumenta satis fida; cum in his ipsis nimia interdum vestutate minus commendabilibus, non admodum magna occurrat vocabulorum copia; cumque manuscriptorum codicum, quamvis omnes Linguae thesauros recludentium, plerique, utpote & parum antiqui & ab inductis valdeque negligentibus hominibus descripti, non semper consentiant aut sibi aut analogiæ: cui fidas, sublato etymi studio, sæpe carebis duce. Contra vero in linguis adhuc vigentibus multa quotidie mutat, transformat, emollit usus; teruntur manibus præstantissimorum scriptorum, & patrii idiomatis peritissimorum, si non autographa, laudabili tamen cura impressa, aliis imitanda exemplaria; sermonisque commercio jam non ad eruditos solos, sed ad gentes universas, pertinente, paucissimis eorum qui scribunt id contigit facultatis atque acuminis, ut vocabulorum fontes, remotos sæpe & abstrusos aut plane oblitos, nunquam non investigent. Sed in utroque linguarum genere multis, iisque diversissimis, frequenter luditur ejusdem vocabuli etymologiis, ut quam præ ceteris eligas, dubius hæreas, missoque inutili labore ad usum confugere cogaris communem scientissimorum, toties certe fidissimum, quoties non manifesta est, & in ipsa florente, qua uteris, lingua adhuc superstes, vocis, de qua quæritur, origo.

Fidem nominum salutem esse proprietatum TERTULLIANUS quondam dixerat: licetque omnino sæpius, per etymologiæ subsidium, ad primam propriamque vocabulorum significationem devenire. Sed caute hac etiam in re versandum esse, insignis docet homonymorum in omnibus

omnibus lingvis copia, & magis etiam varia vel in cognatis dialectis vocum a communi radice prognatarum significatio (e). In multis porro vel ejusdem lingvæ verbis prisca illa, sæpius physica, jamdudum obsolevit notio, recentioribus ita inter se discrepantibus, ut pro ejusdem matris filiabus haberi vix possint. Solet namque innumeris omnino occasionibus sermonis consuetudo molestum originis jugum excutere, novasque vocibus non tam adjungere quam obtrudere, sæpe specialiores, interdum magis generales, nonnunquam plane alienas, potestates: quas deferens interpres, & etymologiæ aut veræ aut opinatæ nimis tribuens, contextui turpiter vim infert, eamque migrat interpretationis legem, quæ ut, in mentem scriptoris animumque penitus intrando, omnia sic intelligamus, quam hujus postulaverit probe perspectum consilium, aptissime jubet. Neque enim, in emortuis præfertim lingvis, aliunde quam ex rite intellectis & studiose observatis antiquorum scriptorum loquendi formulis, quid siverit, quid vetuerit usus & consuetudo, judicare licet: cui quotiesnaverit etymon, poterit etiam inde aliquid illustrationis accedere, quoties autem repugnaverit, perturbabit omnia, justamque lingvæ scientiam labefactabit atque pervertet. Est tamen & jucundum & ad plenioram, accuratioram omninoque historicam lingvæ cognitionem acquirendam utile, eandem in prima quasi elementa dissolvisse, hæc ipsa inter se contulisse, stirpes vocum ad ultimos propaginum, cognationum, affinitatum gradus deduxisse, & quibus successuum quasi passibus ad ultimum & absolutissimum habitum pervenerit lingua in-

A 2

ve-

---

e) Cfr. Differt. OL. EKEROT, de lubrico adminiculi Philologici, potestatem vocum lingvis in mortuis obscurarum, ex lingvis cognatis



vestigasse: sed ita, ut in re obscurioris sæpe indaginis, & infinitis fere conjecturarum lusibus patente, modum utilitate terminemus, effusum comprimamus effrenæ phantasiæ impetum, caveamusque, ne iudicio fallamur demusque & nos ipsos & totam artem ludibrio. Cujus generis Etymologiarum vix ullæ proferri possunt ineptiores, quam *Diaboli & mechanicarum artium*, quarum appellatio- num hanc inde repetiit S. THOMAS AQUINAS, quod faciant artes istæ *mæbari* intellectum circa res viles, illam vero a *dia* (duo) & *bolus* (morsellus) esse voluit Glossographus in L. I Decretalium GREGORII, "quia duos bolos tantum de corpore & anima quærit facere" dæmon ille malus.

Nondum id commemoravimus subsidium, quod partim Prosodiæ, partim Historiæ promittit Etymologia, neque illud ubique satis fidum. Ut enim, ne aliis immeremur exemplis, in *fides*, *fidelis*, *perfidus*, brevis, in *fido*, *fidus*, *fidacia*, *infidus*, longa eadem est primitiva syllaba; sic in Historiæ tenebris permagna opus est cautione, ne RUDBECKII aliorumque more evagantes longius, non ea quæ repererimus, sed quæ reperire, præjudicata occæcati opinione, voluerimus, invitis & incredulis propinemus lectoribus, lubricisque & misere detortis nominum aliorumque vocabulorum similitudinibus commenta superstruamus non dicam omni historici fidei adversa, sed ne speciem quidem habentia veritatis. Tali fascinatorum erroris pravitate stultitiam, nec minus temeritatem in mutandis omnibus quæ obstare adamatis hypothesis videntur, false risit VOLTAIRE, ex nominibus Sinensium *Fu* & *Ki*

---

vel dialectis interpretandi, exemplis linguarum hodiernarum comprobato, Præf. J. F. NEIKTER, Upl. 1798.

*Ki* exculpi facili negotio posse *Menes* & *Atoes* vafre simulans (f).

Verum utcumque hæc judicentur omnia. antiquum satis est, nec frigide tum quidem cultum, Etymologiæ studium. PLATONEM primum omnium nomina ad origines suas, cum alias sæpe, tum maxime in *Cratylo* reduxisse, auctor est DIONYSIUS HALICARNASSEUS (g), cui sic assentitur HENR. VALESIUS (h), ut putet primam viam ac methodum investigandæ Etymologiæ Grammaticis apertam fuisse a SOCRATE, ante quem non nisi leviora essent aliud quasi agentium Tragicorum Poëtarum ÆSCHYLI & EURIPIDIS in hoc genere conamina. Acceptam vero a SOCRATE artem diligenter retinuerunt Philosophi Academici atque Peripatetici (i), tum Stoici, studiose exquirentes unde verba essent ducta (k), ZENO nimirum, CLEANTHES, CHRY.

---

f) *Voici, comme on s'y prend aujourd'hui pour prouver que les Egyptiens sont les pères des Chinois. — — — Il est évident que les premiers rois de la Chine ont porté les noms des anciens rois d'Egypte, car dans le nom de la famille Yu on peut trouver des caractères, qui arrangés d'une autre façon forment le nom de Merès roi d'Egypte, & l'empereur Ki est évidemment le roi Atoes, en changeant k en a & i en toes.* Préface de l'histoire de PIERRE L.

g) Περὶ συνθέσεως ὀνομάτων c. 49.

h) De Critica L. I. c. 5. Addit ibidem: Socratem quoties dico, Platonem simul intelligi velim. Nam tametsi Plato nihil suo nomine edidit, sed omnia ad magistrum Socratem retulit, constat tamen eorum, quæ a Socrate dicuntur, laudem maxima ex parte Platonis ingenio deberi.

i) CICERO de Finib. L. I. c. 8 f. 32.

k) Idem de Offic. L. I. c. 7 f. 23.

CHRYSIPPUS (l) & reliqui, operosius etiam tractarunt: quam igitur CICERONI, cives suos ad Græcæ sapientiæ studium & voce & scriptis cohortanti, haud displicuisse mirum non est, in primis cum postea neque poëtæ, VIRGILIUS (m), PROPERTIUS (n); OVIDIUS (o) eam a carminis natura alienam judicarent. Fuit quidem, ubi nodosas atque contortulas hujusmodi etymologias ipse rideret CICERO p, sed nihilo minus tanto tenebatur harum subtilitatum amore, ut ab iis sibi ne in orationibus quidem temperaret. Quare & nos, si in his ipsi etymologiis conquirendis & publico exhibendis specimine exigui pretii operam posuisse judicabimur, egregii magistri exemplo nos tuentes, æquo id feremus animo, existimabimusque nos id saltem commodi adeptos, quod attentos manet Tullianorum scriptorum lectores, nec aliud dolebimus, quam invidisse fata nobis, & temporis & facultatum angustia pressis, absolventi jam nunc opusculi occasionem.

CICE

- 
- l) Idem de natura Deorum L. III. c. 24 f. 63. Septem de Etymologicis libros a CHRYSIPPO ad DIOCLEM scriptos commemorat DIOGENES LAËRTIUS de vitis Philosophorum L. VII. c. 7 f. 12.
- m) Æneid. L. X. v. 145 &c.
- n) L. IV. eleg. 10 v. 45 sqq.
- o) Exemplo esse potest totum Fastorum opus, frequentissimis referentem etymologiis. Et viguisse in universum Romæ grammatici hujus artificii studium, docere potest vel DIONYSIUS HALICARNASSENSIS Ἀρχαϊκὸν Ῥώμ. L. I. c. 31, corruptum *Palatii* (quondam Pallantici) nomen multis sed absurdis etymologiis dedisse occasionem testatus.
- p) Quæst. Tusc. L. III. c. 8 f. 18. De natura Deorum L. III. c. 24 f. 62. Cfr. de Offic. L. I. c. 7 f. 23.



CICERONI, Philotophiam vernaculo sibi sermone primum tractare aggresso, parienda sæpe verba fuerunt, imponendaque nova novis rebus nomina, ad Græcorum, e quorum fontibus haurire consueverat, rationem plerumque conformata. Quod enim non sine aliqua incredulorum querela dicitaverat, Romanos non modo non vinci a Græcis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores, id re probare cupiens, elaborandum censuit, ut hoc non in suis solum artibus, sed etiam in Grajorum consequerentur (q). Paucis igitur usû jam receptis appellationibus servatis, multas addidit novas quidem sed vere latinas, in quibus, quod sæpius monet, verbum ex verbo, feliciter ut plurimum expresserat, aut, ubi hoc minus licuisset, ad sensum, saltem transtulerit neque incommode, neque sine aliquo etymologiæ respectu. Exempla talium sunt:

*Æquilibritas*, ἰσονομία Epicureorum, de nat. Deor. L. I. c. 39 f. 109. Duobus verbis *æqualis tributio* appellatur ibidem c. 19 f. 50.

*Comprehensio*, κατάληψις, κατάληπτον, Quæst. Acad. L. I. c. 11 f. 41. L. IV. c. 6 f. 17. c. 10 f. 31. c. 47 f. 145.

*Evidentia*, Περσπικυιτας, ἐνάργεια, Quæst. Acad. L. IV. c. 6 f. 17.

*Indifferens*, ἀδιάφορον, de Finib. L. III. c. 16 f. 53.

*Pro-*

---

q) De Finib. L. III. c. 1 & 2. c. 15 f. 51. Cfr. Acad. Quæst. L. I. c. 7. f. 25.

*Producta, Promota, Præposita, Præcipua, προσηγμένα*  
Stoicorum. de Finib. L. III. c. 16 f. 52. L. IV. c. 26 f. 72 sq.

*Remota, Rejeeta, Rejeetanea, ἀποπροσηγμένα* ZENONIS,  
de Finibus L. III. c. 15 f. 51. c. 16 f. 52. L. IV. c. 26  
f. 72 sq.

*Veriloquium, ἐπιμελογία*, Topic. c. 8 f. 35. (r)

Hæc aliaque a CICERONE novata quemadmodum explicari & definiri necesse erat interdum, sic etiam non pauca usu jam frequentata, sed significatione vaga, accuratius limavit atque determinavit idem. Sic pro re nata definiuntur aut illustrantur saltem

*Ærumna*, de Finib. L. II. c. 35 f. 118. Tusc. Qu. L. IV. c. 8 f. 18.

*Boni viri*, de Offic. L. II. c. 9 f. 33. L. III. c. 15 f. 64. c. 19 f. 76. Læl. c. 5 f. 19. Cfr. de Offic. L. I. c. 7 f. 20. c. 10 f. 31. L. II. c. 11 f. 38. L. III. c. 17 f. 70. Læl. c. 18 f. 65. Per lautos & locupletes explicantur iidem, Epist. ad Att. L. VIII. ep. 1. sed ironia manifesta.

*Coactus*,

r) Non huc quidem pertinet obscurum illud & varie lectum *Succones*, Epist. ad Att. L. VII. ep. 13, in quo, ab ATTICO confisso & ænigmatici aliquid habente, diu æstuavit Noster. Videntur autem fœneratores s. argentarii, ut *Oppii* L. VIII. ep. 7 L. X. ep. 4, ἀπὸ τῆς ὀπῆς, sic etiam *Succones* a *succo* dicti: in qua BOSII & POPMÆ interpretatione, propter eandem originum vim, libentius acquiescimus, quam cum CORRADO & MALESPINA *Saccones* a *faccis* (ut equestrem ordinem pro Cinnanis partibus stantem *Sacculiariorum* nomine appellatum fuisse narrat ASCONIUS PEDIANUS ad orationem Nostri in toga candida), aut cum A. MANUTIO & J. F. GRONOVIO *Salacones* i. e. jactabundos, legamus,

*Coactus, Cogo*, Orat. pro Cæcin. c. 21 f. 59.

*Comis*, Orat. pro Balb. c. 16 f. 36, ubi exploditur perversa cujusdam interpretatio (in qua latere suspiceris etymologiam) dicentis *comiter* esse *communiter*.

*Convicium, Urbanitas*, Orat. pro Coel. c. 3 f. 6.

*Dignitas*, de Invent. L. II. c. 55 f. 166.

*Furgium, Lis*, fragm. L. IV. de Republica, apud NONIUM. Sed alio sensu sumitur prius illud vocabulum, LæL. c. 21 f. 78.

*Lessus*, de Legg. L. II. c. 23 f. 59.

*Observare*, Epist. ad Att. L. III. ep. 49.

*Obtrectatio, Misericordia &c.* Tusc. Quæst. L. IV. c. 8 f. 18 sq.

Sunt præterea alia ejusmodi fere innumera; quæ inter consulto nullum adduximus e Rhetorica, singulari disciplina, petitum, & propterea magis technicum.

Pertinent vero hæc minus ad etymologiam arctioris quidem appellationis, quam ad universam vocabulorum vim & sermonis consuetudinem, in qua & expolienda & idoneis munienda regendaque exemplis multas magnasque fuisse CICERONIS laudes, quis ignorat? In Notatione autem ut maneamus, finitimam illi esse Συζογίαν (Συζογίαν legere alii, ad Aristotelicæ appellationis formam, maiunt) i. e. Verborum conjugationem, ipse monuit Noster: *Conjugataque* vocabula ea voluit esse, quæ sint ex verbis generis



neris ejusdem, & orta ab uno varie commutentur: ut *sapiens, sapienter, sapientia; compascere, compascuus; pluerre, pluvia* (s). Nemo non videt, multas, & manifestarum plerasque, ad hunc locum, Grammaticæ rationi proximum, pertinere etymologias, difficilemque esse, si ullam, utriusque rei differentiam. Posses certe, quamquam in exemplis Syzygiæ ex CICERONE adductis nulla fuerunt ex duobus aut pluribus verbis composita, hujusmodi omnia eidem subjicere classi: quid enim interest inter cognationem, ab altera parte, *τῶν cor* & *corculum*, ab altera *τῶν cor, concors, excors, vecors*? Magis tamen placet CICERON s hac in re vestigia sequi, nec alia ratione prolatare Syzygiæ fines, quam eadem appellatione comprehendendo etiam ea, quæ aurium & aptioris pronuntiationis causa posterior ætas aut contraxit aut alio modo mutavit paullulum: nam inter *auferre* & *abferre* quid veri est, si originem quæris, discriminis? In his vero non compositionem, sed elementa compositæ vocis proxima, spectari clarum est. Sint igitur Syzygiæ ex CICERONE exempla:

*Amicitia*, ex amore, vel amando unde etiam *Amor*, de nat. Deor. L. I. c. 44 f. 122. Læl. c. 8 f. 26. c. 27 f. 100. de Finib. L. II. c. 24 f. 78.

*Animus* "ab anima dictus est" Tusc. Quæst. L. I. c. 9 f. 19. *Anima* vero ea explicatur "quæ ducta sit spiritu" de nat. Deor. L. II. c. 54 f. 136, unde *animalis* & *spirabilis* synonyma sunt Tusc. Qu. L. I. c. 17 f. 40. c. 18 f. 42 &c. Nusquam tamen expresse indicatur Græca origo ab *ἀνεμος*.

*Auferre*,

---

s) Topic. c. 3 f. 12. c. 9 f. 38.

*Auferre, Aufugere*, pro *Abferre* vel *Absferre*, *Abfugere*, Orat. c. 47 f. 158. Reliqua ibidem commemorata, *Abigere* & *Amovere*, dissimilis esse rationis videntur.

*Bis* pro *Duis*, Orat. c. 45 f. 153. Cfr. infra *Bellum*

*Cappis*. In hoc uno tria verba (*cape si vis*) esse voluit Noster, Orat. c. 45 f. 154, nec probare tamen sententiam suam valuit QUINTILIANO L. I. c. 5 f. 66.

*Confidens* a *confidendo*, Tusc. Quæst. L. III. c. 7 f. 14.

*Corculum* ex *Corde*, i. e. animo, Tusc. Quæst. L. I. c. 9 f. 18.

*Diligens, Intelligens*, a *diligendo* & *intelligendo*, in quibus verbis inesse vim *legendi* simul observatur, de nat. Deor. L. II. c. 28 f. 72. Concurrunt nimirum hoc loco Syzygia & Etymologia. Alias in *deligendo* quæsitum videas *Diligentis* etymon, Læi. c. 16 f. 60, quod eodem fere recidit.

*Divinatio* "a *Divis*, melius quam Græci, qui *μαντικὴν* appellant' de Divinat. L. I. c. 1. f. 1. Vid. infra *Μαντικὴ*.

*Humari*. Humati dicuntur "quos *bumus* injecta contegeret" de Legg. L. II. c. 22 f. 57. Tusc. Quæst. L. I. c. 16 f. 36. Sic proprie & antiquitus: CICERONIS autem ævo omnes sepulti (etiam combusti & feris laniati Tusc. Qu. L. I. c. 45 f. 108) *bumati* appellabantur, unde opponuntur quoque inhumatis, ibid. c. 44 f. 106 Sepulti nempe, uti postea apud PLINIUM, Hist. Nat. L. VII. c. 54, intelligebantur quoquo modo conditi: in XII Tabulis aliud fuerat Sepelire & Urere, de Legg. L. II. c. 23 f. 58. c. 24 f. 60. Tum vero etiam incensa corpora humata nominare nihil repugnabat, & eo minus, quod collecta cadaveris ossa urnæque illata & tandem composita tumulo,  
humo



humo tegebantur. Certe apud NEPOTEM in Eumene c. 13 *amarunt* idem significat ac cremarunt: quam ERNESTII interpretationem injuste reprehendit SCHELLER in præceptis filii bene latini p. 77, 114, 570, 761 sq. Nam humari semper idem esse quod cremari, neuiquam dixerat Ille, & Græcorum *ἄπτειν* ipsi jam HOMERO Odyss. XII. 12 de ustis adhibetur.

*Ignarus, Ignavus, Ignotus.* "Noti erant & navi & navi, quibus cum in præponi oporteret, dulcius visum est, *ignoti, ignavi, ignari* dicere, quam ut veritas (etymon) postulabat" Orat. c. 47 f. 158. Repugnat his SCHELLER l. c. p. 89 sq. quærens, cur non sit etiam *ignumerus*, nec concedens g illud esse per mutationem ex *n* factum, sed *gnotum, gnavum, gnarum* propria esse vocabula. Quid autem vetat g illud *προσδετικόν* credere, & voces in quæstione versatas ab æque usitatis *navus* & *navus*, ut *ignotus* a *noscere*, derivare?

*Insipiens.* "Quam scite dicunt *insipientem*, non *insapientem? iniquum*, non *inæquam? tricipitem*, non *tricapitem? concisum*, non *concaesum?* Ex quo quidam *pertisum* etiam volunt; quod eadem consuetudo non probavit," Orat. c. 48 f. 158.

*Invidia*, quam, ut effugeretur ambiguitas nominis ("Invidia non in eo qui invidet solum dicitur, sed etiam in eo cui invidetur" Tusc. Quæst. L. IV. c. 7 f. 16.), *Invidentiam* nuncupatam maluit Noster, "ab *invidendo* dicitur f. a nimis intuendo fortunam alterius" ibid. L. III. c. 9 f. 20. Hinc "Invidentiam esse dicunt ægritudinem susceptam propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti" ibid. L. IV. c. 8 f. 17. cfr. L. III. c. 10 f. 21.

Malle pro magis velle, Orat. c. 45 n. 154. Hinc apud PLAUTUM, Trucul. act. IV. sc. 2 v. 30 legitur *mavelim*.

*Meridies;*



*Meridies*, pro *medidies*, a *medio die*. Sic VARRÓ L. V. qui antiquam, sed invaviorem scripturam Præneste incisam in solario viderat. Recentioris originem paullo obscurius significat Noster, Orat. c. 47 f. 157. Cfr. QUINTILIANUS L. I. c. 6 f. 30.

*Modestia* a *modo servato*; hoc enim "in verbo *modus* inest" de Offic. L. I. c. 40 f. 142.

*Monumentum* f. *Monimentum* (nam perperam distinguuntur a *SERVIO*), a *monendo*. "Ego, quæ *monumenti* ratio fit, nomine ipso *admoneor*" fragm. Epist. ad C. Cæsarem L. II. apud NONIUM.

*Nequire* pro *non quire*, Orat. c. 45 f. 154.

*Nescire*, dulcius quam *non scire*, quod barbarum jam videbatur, Orat. c. 47 f. 157.

*Nolle*, pro *non velle*, Orat. c. 45 f. 154.

*Optimates*, dicti, non quod *optimi* i. e. beneficentissimi (de nat. Deor. L. II. c. 25 f. 64) essent, sed quod sua consilia *optimo* cuique probarent, Orat. pro Sextio c. 45 f. 96. c. 66 f. 138. At posteriori loco luditur fere in ambigua vocis significatione; nam ipsi *Optimates* *Optimi* vocantur, de Offic. L. I. c. 25 f. 85. Cfr. Epist. ad Attic. L. X. ep. 9.

*Oracula* "ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his Deorum *oratio*" Topic. c. 20 f. 77. Ab *ore* malunt alii, quæ ultima esse videtur origo.

*Ostenta*, dicta, quia *ostendunt*, ut *Portenta*, quia *portendunt*, de Divinat. L. I. c. 42 f. 93. de nat. Deor. L. II. c. 3 f. 7. De illis nemo dubitat; de his disensisse NONIUM, postea dicitur.

*Penicillus*: diminutum a *pene*, quo nomine caudam antiqui vocabant, Epist. ad Divers. L. IX. ep. 22.

*Pomeridianus* pro *postmeridianus*, Orat. c. 47 f. 157.  
Popu-

*Populares* "qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini (*populo*) jucunda esse volebant" Orat. pro Sext. c. 45 f. 96. Alluditur, etiam manifestius, ad vocis originem ibid. c. 56 f. 119.

*Pullarius*. Qui ad auspicia afferebat "in cavea *pullos*, ex eo ipso nominabatur *pullarius*" de Divinat. L. II. c. 34 f. 72.

*Rex a regendo*, de Finib. L. III c. 22 f. 75, quam originem indubitatam judicat etiam QUINTILIANUS L. I. c. 6 f. 33.

*Sis*, pro *si vis*, Orat. c. 45 f. 154.

*Sit* imminutum est, *Siet* plenum Orat. c. 47 f. 157.

*Sodes* pro *si audes*, Orat. c. 45 f. 154.

*Torpedo* cum, de Nat. Deor. L. II. c. 50 f. 127, dicitur *torpore* se tutari, unde ductum sit nomen, simul indicatur.

*Versutus* a *versando*: sic enim eum appellabat CICERO "cujus celeriter mens *versatur*" de nat. Deor. L. III. c. 10 f. 26 cfr. de Finib. L. II. c. 17 f. 54. L. III. c. 1 f. 2. Videtur tamen hæc ad animum relata significatio posterior esse, & *Versuti* appellatione, quemadmodum de Græca *πολύτροπος* (*Odyss.* I. 1) affirmat Voss (*Mythologische Briefe* 111 Band p. 102 sq.), is primitus venisse, qui cum multis hominibus & gentibus *versatus* fuisset, quod etiam quodantenus probare creditur locus PLAUTI, *Epidic.* Act. III. sc. 2 v. 35. At vel sic salva manet origo a CICERONE obcurius indicata.